

Q. 195 (15)

J. J. Ad. Scheyeri

6 8 3

Yc
6212

Q. 195.

in Apoc. 12.

X 2022840

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

Ad

Orationem

D. XXXI. Oct. peractis Sacris matutinis,

in Æde Paulina,

IN MEMORIAM FELICITER PER
B. LUTHERUM cœptæ Reforma-
tionis, habendam.

UTRIUSQUE REIP. PATRES AC CIVES
officiose, humaniter, ac decenter
invitat.

De dicto, Joann. Apoc. 12. r. a Card. Bellarmino
incepte in Lutherum applicato.

BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
LIPSIENSIS





visionem illam JOHANNIS Evangelistæ & Apostoli, qua cap. IX. Apocal. a com. 1. ad 12. quinto Angelo tuba canente, primum apparuit ingens stella de Cælo cadens in terram, cui data fuit clavis putei abyssi: deinde conspectus est fumus ex abyssu densissimus ascendere, qui solem & aerem obscuravit: postremo ex fumo vise sunt prodire locustæ admirabiles, paulo post etiam Equorum, & Leonum, & Scorpionum, & Hominum armatorum speciem præ se ferentes, ROBERTUS BELLARMINUS, adversus Davidem Chytræum, qui Antichristum seu Ordinem Papatus Romani in hac visione describi dixerat, disputans, in LUTHERUM & LUTHERANOS detorquere satagit, Lib. III. de Rom. Pont. f. cap. XXIII. Nam imprimis LUTHERUM significare posse, scribit, per stellam illam quæ de cælo in terram cecidit: cum ipse ex Monacho secularis, ex cælibe conjugatus, ex paupere dives factus sit, & victum sobrium ac tenuem cum opiparis cœnis ac prandiis commutavit. Nihil enim hoc aliud esse, quam ex cælesti vitæ consuetudine ad terrenam decidisse. Deinde fumum putei abyssi, qui ejus casum consecutus est, plane cœcum & stupidum esse, qui non sentiat. Siquidem ante Lutheri ab Ecclesia Catholica defectionem totus fere Occidens ejusdem fidei & religionis fuerit, ut quocunque aliquis iret, fratres suos continuo agnosceret: At post Lutheri casum tantus fumus errorum, sectarum, schismatum exortus sit, ut jam nec in eadem provincia, imo nec in eadem civitate aut domo unus alium agnoscat. Obscurasse quoque hunc fumum solem & aërem. Nam per solem, Christum, per aërem scripturas, per quas in hac vita quodammodo respiremus, intelligi. Et quidem, Christum quam vehementer iste fumus obscuravit, testari Transylvaniam & vicinas Regiones, ubi palam negetur Christi Divinitas, testari etiam Germaniam, ubi Anabaptistæ aperte, Ubiquistæ obscurius negent Christi humanitatem. Porro Scripturas incredibile esse, quam vehementer iste fumus obscuravit. Tot enim jam extant versiones, tot com-

men-



mentaria inter se pugnancia, ut ea etiam, quæ olim clarissima erant, nunc obscurissima videantur. Aptissime vero omnia, quæ de locustis Johannes dicit, in LUTHERANOS quadrare. Primum enim Locustas in magna semper multitudine venire ac sine capite turmatim incedere solere; Sic & Lutheranos caput unum proprie non habere, quia negent unum esse debere caput totius Ecclesiæ: nihilominus tamen brevissimo tempore in ingentem multitudinem crevisse, undique ad ipsos accurrentibus omnis generis vitiosis hominibus. Faciem blandam locustarum significare, initium prædicationis eorum, quæ semper incipiat ab Evangelio: nihil enim se dicturos polliceri, nisi purissimum DEI verbum. Ita facile allicere simplices. Caudam Scorpionis innuere venenatum & lethiferum exitum, quia verbum Dei propositum perversa interpretatione depravent, & eo modo quasi retorta cauda aculeum infigant & virus lethale infundant. Corpus locustæ ventrosus indicare, ipsos esse homines ventri addictos, inimicos jejuniorum & continentia, & ideo nec incedere posse per viam mandati, nec volare ad res cælestes contemplandas, conari quidem aliquando se erigere ac mores emendare, sed more locustarum mox recidere ad terram. Conari etiam volare per contemplationem, sed incidere in errores gravissimos imo hæreses perniciosissimas. Coronas in Capite Locustarum exprimere arrogantiam & Superbiam, quæ sese efferant super omnes homines, ita ut non solum Lutherus nihili faciat mille Cyprianos & mille Augustinos, sed etiam quivis Ministellus Lutheranus pro asinis & stipitibus omnes Papistas habeat. Esse autem Coronas illas quasi aureas, i. e. aureas videri sed non esse, quia Lutherani se fingant Zelo honoris DEI & charitatis impelli ad ea quæ dicunt, cum tamen nihil minus quam Zelum Dei noverint. Dentes Leoninos significare detractiones, quibus assidue & literis & sermonibus ledant famam Pontificum, Clericorum, Monachorum, & ipsorum etiam Sanctorum cum Deo feliciter regnantium. Pectus Iorica ferrea armatum, obstinationem innuere. Esse enim ita obduratos, ut etiamsi aperitissime convincantur, nunquam tamen cedant & sepe mori malint, quam obstinatione sua recedere. Similitudinem equorum ad bellum paratorum indicare temeritatem, quæ omnes ad bellum audacissime provocent, cum tamen postea pro argumentis sola mendacia plerumque proferant. Curruum autem volantium similitudinem representare velocitatem, quæ nova ista hæresis utatur in variis regionibus occupandis. Denique Angelum Abyssi dici regem istarum Locustarum, quia etsi Regem visibilem locustæ non habeant, invisibili tamen Rege, id est Diabolo, carere non possint. Dicit autem

bunc Regem Exterminatorem, quia per nullam unquam heresim aut persecutionem Diabolus ita exterminavit & vastavit Ecclesiam uti per Lutheranos. Nam ceteras quidem hereses unam aut alterum forte articulum destruxisse, non tamen evertisse omnem ordinem ac disciplinam Ecclesiae: at Lutheranam heresim partim per se, partim per suas proles, Anabaptistas, Calvinistas, Trinitarios, Libertinos, omnia omnino Ecclesiae bona perdidisse in iis locis ubi grassari potuerit. Unam vero in tot malis consolationem esse, quod haec locustae non ledant herbas atque arbores virentes, sed homines duntaxat signum Dei vivi non habentes. Cum enim heresis ista tota carnalis sit non facile viros bonos, & in quorum animis viret ac floret religio & pietas, decipere posse. Ita vel raro vel nunquam accidisse, ut ad Lutheranos ab Ecclesia aliquis defecerit, qui non prius corrupta ac perditae vitae esse coeperit.

Et haec est egregia illa Visionis Apocalypticae in Cerebro Cardinalis, invito Spiritu S. nata Expositio, cui nec omnes Papistae suffragantur. Ita enim Cornelius a Lapide Comm. ad h. l. p. 178. Huic (sc. Bellarmini) expositioni repugnat, quod haec locustae crucient homines, ita ut optent mori, quod Haereticis (Lutheranis) non competit. Horum enim est homines pervertere in fide & moribus, non cruciare & occidere. Imo ab eis perversi & seducti, cum non nisi voluptates & commoda huius vitae spectent, summe amant vitam & horrent mortem. Item Locustae cruciabunt eos, qui non habent signum Dei: Haeretici vero cruciant eos, qui habent hoc signum, puta fideles & Orthodoxos. Adhaec ipsa συγκαταθεσις a Bellarmino hic instituta, per stellam cadentem LUTHERUM haut posse intelligi, evidentissime demonstrat. Dicit ipsum ita cecidisse, cum ex paupere dives, ex continente maritus, ex Monacho Politicus factus est. Sed praeterquam quod LUTHERUS obscurus & pauperculus Monachus (talis enim ante Reformationem fuit) per stellam istam, qua Doctores insignes & illustres significantur, intelligi haut possit, nec fidei Historicae nec rebus ipsis haec a Bellarmino instituta Comparatio quadrat. Divitias siquidem nullas Lutherus congeffit, ut pote qui cum Scypho argenteo, Deum Ter. Opt. Max. Patrem orphanorum & iudicem viduarum suis testamento reliquit. Quod utinam imitarentur Praesules in Papatu! Quod uxorem duxerit, satisfecit praecipito Apostoli 1. Cor. VII, 2. Virginitas vero corporis abque virginitate mentis hypocrisis est. Quanta cum ἀκαθαρσία simulata continentia in Papatu sit conjuncta testis temporum Historia & Expe-

rien-

rientia satis edisserit. Nec veritati congruit, quod Lutherus ex Monacho factus fuerit Politicus, vel Homo secularis. Theologus enim fuit, & ad finem usq; vitæ talis permansit in victu & amictu, totaque re familiari simplicissimus. In seipso potius descendant hic Præsules Romani ense gemino Ecclesiastico & Politico potentes. Nec unius hili meliores sunt reliquæ Comparationis partes in similitudine sive fumi ex abyssu erumpentis cum doctrina Lutheri, sive Locustarum cum ejusdem asseclis Lutheranis; sed pura puta sunt mendacia totis conviciorum, calumniarum, & blasphemiarum plaustris in caput innocentissimum LUTHERI atque LUTHERANORUM congesta, quæ sua tamen falsitate, partim semetipsa confodiunt, partim a Nestratibus jam pridem sunt confossa. His igitur missis id unice nunc agamus, ut VISIONEM istam longe rectius PAPÆ atque JESUITIS, inter quos & nomen suum profiteretur BELLARMINUS, accommodari posse, ad solis radium ostendamus. Et primo quidem facile concedimus ac ultro largimur Cardinali, *Tempus tubicini quinti coincidere cum tempore Reformationis per LUTHERUM instituta.* Si enim Tubicinia VII. apocalyptica æqualis esse quantitatis, & quodvis eorum, septem Jubileis vulgaribus, seu annis CCCXLIII. constare præsupponamus, calculus sane ductus initium hujus tubæ monstrabit annum æræ Christianæ 1403. finis autem in ejusdem æræ annum 1747. incidet. Id quod Vir pietissimus ac dono *ωεφφηείας* peculiari, dum viveret, instructus Dn. MATTHÆUS HOFMANNUS, primus apud Svidnicenses in Silesia Invar. Confess. Aug. ad SS. Trinit. ædem, primariusque Pastor, solidissimis rationibus ostendit Cap. VI. *Chronotaxeos sue Apocalypticae*, Jenæ 1668. editæ, in qua, si integram, per obitum nimis maturum, absolvere potuisset, singulis visionibus Apocalyptis certas temporum periodos, juxta numerum septenarium *Epistolarum*, Cap. I. II. III. *Sigillorum*, cap. VI. II. IX. & *Tubiciniorum*, cap. II. IX. XI. assignare, assignatas è textu aliisque locis parallelis eruere ac probare, probatis fata Ecclesiæ præterita præsentia & futura applicare, adeoque totius Apocalypseos Johanneæ explicationem tam dilucide proponere instituerat, ut cuius æquo & judicioso lectori Christiano appareret, hunc esse genuinum istius Libri sensum a mente Revelantis certo intentum. Cujus Autoris laudati jam commemorata hypothesi assumpta, necessario dicendum est, in hanc *Periodum* sive *Ætatem* Eccle-

fiæ *qvintam* complemento suo incidentia nos proxime attingere, ac
 res præsentis nostra Patrumque nostrorum memoria gestas nobis ob
 oculos sistere. Cum autem ætate ista non modo prodierint LUTHE-
 RUS & LUTHERANI, sed & PAPA supra Concilium sese extollens & infal-
 libilitatem in quæstionibus tum juris tum facti sibi vindicans, una
 cum JESUITIS acerrime infallibilitatem hanc Papæ suæ defendentibus :
 utris potiore jure *ἰεραμα* istud conveniat *Lutheranis, Luthero* & an PAPA
 & fidelissimis ejus parastatis JESUITIS, nunc porro dispiciendum. Et
 sane pro Explicatione posteriori faciunt omnes circumstantiæ, quas
 tum STELLÆ EX COELO IN TERRAM PROLAPSUS, tum IPSA
 LOCUSTARUM EFUMO EGRESSIO suggerunt. In illo considerari
 meretur (1.) STELLA. Quæ ut ex Cap. I. patet, notabilem quendam
 Ecclesiæ Doctorem h. e. Episcopum & illustrem *ιεροφάντην* signifi-
 cat, unum non individuali unitate, sed successiva. Est enim hæc
 Stella illa ipsa STELLA MAGNA, ardens velut Lampas, quæ ætate jam
 tertia, sive *Angelo tertio buccinante*, e cælo sc. non gloriæ (ex hoc enim
 nullus amplius metuendus lapsus, Luc. XX, 36.) Sed *gratiæ*, h. e. Ec-
 clesia vel coetu fidelium per *ἀποστασίαν* a veritate cœlesti, non subi-
 taneam & apertam, sed lentam atque opertam ceciderat, Apoc. IIX, 10.
 adeoque per mille & viginti novem annos (tot enim juxta prius alla-
 tam hypothesein efficiunt tria, quæ afficit *ὁ ἀσὴρ*, tubicinia) Ecclesiæ
 corruptelis & superstitionibus suis nocuerat. Quæ res sola mani-
 festo evincit, stellam hanc non posse intelligi de solitario aliquo Do-
 ctore, sed integro statu, aut multis individuis certa serie sibi invicem
 succedentibus, qualis est *Sedes Papalis*, cujus Apostasia ætate tertia
 contigit, & in hodiernum usque diem sub tubicinio quinto perdu-
 rat. (2.) LAPSUS STELLÆ. *Ἔϊδον*, ait Apostolus, *ἀστὲρα ἐκ τοῦ οὐρα-
 νῆος πετρωκόντα εἰς τὴν γῆν*. Lapsus hic fuit a priori (cap. IIX, 10.) diversus,
 & *ἀπεροσδόκητος* præter opinionem factus. Dicitur enim stellam vi-
 disse non *πεσόντα* cadentem, sed *πετρωκόντα* delapsam, ut in terræ na-
 scentibus prius videmus plantam crevisse, quam crescere. Terminus
 a quo *cælum*, Terminus ad quem Terra est. Per cælum hic intelligitur
Auctoritas, quam sibi arrogaverat hæc stella in Ecclesia, cum velut
 in cælo sedens loqueretur, Ps LXXIII, 9. Per terram *conditio* ejus, cujus
 est discere & judicari, ut ita ex *cælo in terram cadere* hoc loco idem sit,
 quod de throno Dei & Christi deturbari, tanquam per *invasionem*

occu-

occupato, & solam deinde conditionem ejus relictam habere, cujus est discere & judicari, h. e. docendi & judicandi autoritate sibi prius arrogata privatum esse. Convenit hoc Papæ, cum seculo superiori post Reformationem LUTHERI, agnita est seductrix ejus *ὑποστασία*, & a piis, quos per anathemata sua in Concilio Tridentino ejecit ex coetu, in quo ipse sedit, derelictus fuit. Postquam enim per istius Conciliabuli anathematismos separatio facta confirmata est, Papa & sequentes illum se ipsos constituerunt inter mortuos & exsortes regni cœlorum, Ezech. XXXIX, II. Quare effectum est, ut nisi per resipiscentiam falsæ autoritati plane renunciarent, Pax Ecclesiastica, quam hodie nonnulli Papistarum etiam frustra parturiunt, cum iis nunquam fieri possit. (3.) STELLÆ DELAPSÆ POTESTAS. Quæ data est ipsi *clavis putei abyssi*. Datio significat partim concessionem Dei juste punientis, partim infallibilem rei futuræ certitudinem, (confer Cap. IX, 5. XIII. 7.) partim *judicium* hominum de stella ex cœlo in terram delapsa. Et hoc modo postremo in verbis allatis erit *μυνησιμὸς*, nempe cum Papa & Homines Papæ dicant, ipsum habere claves regni cœlorum & potestatem distribuendi thesauros Ecclesiæ, h. e. merita sanctorum, Prophetia {Apocalyptica irrisione quadam utens dicit, *Clavem putei abyssi*. Lucem huic rei magnam foeneratur Historia illius temporis. In concilio enim Constantiensi & Basileensi disputatum est de Papæ potestate & clave regni cœlorum, fuitque definitum, *Concilium esse supra Papam, & Papam esse auferibilem ab Ecclesia*, h. e. posse judicari & excommunicari. Sed Eugenius contra concilium Basileense congregavit Florentinum, cui plerique cesserunt, & Leo X. anno 1513. in Lateranensi Conventiculo (quod absolutum est anno 1517. d. 16. Martii, in quo Thomas de Vio Cajetanus Constantiense & Basileense Concilium perstrinxit ac improbavit, & Cæsare in eam partem inclinato, Cardinales, qui contra Julium II. in Pisano convenerant, veniam petierunt, & plurima foedissima & blasphema publice de Papæ majestate pronunciata sunt) suam *auctoritatem* adstruxit, adeoque in Luthero damnavit, quod is a Papa ad Concilium provocasset. Cum igitur ex adverso Lutherus Bullas Papæ, & Corpus Juris Canonici publice cremasset, id consecutum est, ut apud Lutheranos, Papæ nulla esset auctoritas, & apud diversam partem, Papæ, omnis esset auctori-

cas

tas, quam Spiritus hic vocat *Clavem*, h. e. potestatem *putei abyssi*.
(4.) **POTESTATIS USURPATÆ EFFECTUS TRIPLEX.** *Putei*
sc. apertio: Fumi ex aperto puteo ascensio: Solis & aëris ex fumo putei ascen-
dente obtenebratio. Puteus abyssi est quasi Porta inferni, per quam
facile is, qui in terra viventium habitat, in infernum præcipitari po-
test. Per *apertionem* ergo *putei* affectatam illam infallibilitatem in
quæstionibus juris & facti intelligimus. Cum enim Papa sibi fræna
laxavit ad infallibiliter docendum mendacia, certe videtur tum pute-
um abyssi aperuisse. *Fumus* autem ille egrediens nihil commodius si-
gnificabit, quam copiam falsarum, doctrinarum, & multitudinem assen-
tientium ipsis, quæ magnam habet speciem coram mundo, sed nihil
est nisi *fumus* abiens. Atque hoc fumo in regno illius stellæ non po-
tuit non obtenebrari tota pæne doctrina spiritualis sub *solis & aëris*
symbolo hic depicta. Quia enim Papa Scripturam retinere non stu-
duit, neque dedit operam, ut eam intelligeret, sed magis ut non intel-
ligeret, omni stropharum & sophismatum genere eam obscurans &
ambiguam ac mutam & obscuram clamitans, eique Verbum non
Scriptum, *ut pari pietatis affectu reciperetur*, apponens, & in ejus fidem
homines sacramento adigens, lectionem vero Scripturarum omni-
bus modis impediens, certe non promovens, imo veritatis partes,
præcipue doctrinam de Justitia Christi nobis per fidem imputanda
deformans, & Ecclesiæ Dei ac regni Christi characteres adulterans,
sane non potuit non falsa doctrina in regno illius stellæ obtinere,
veritatis radio ad incolas ejus non penetrante. His effectibus etiam
quarto annumeranda est **LOCUSTARUM e FUMO EGRESSIO**,
quæ alterum Explicationis nostræ argumentum est. Sunt autem
Locustæ hæ Apocalypticæ, ut omnes clamant circumstantiæ, Ani-
malcula Papæa **JESUITÆ**, qui, postquam stella illa cecidit, & auctori-
tate, quam sibi arrogabat in Ecclesia, privata est, se in illas leges, & in
illud nomen confœderarunt, novumque aliquod regnum in Clero
Papali & Monachorum sectis reliquis (de quibus jam olim Hugo Car-
dinalis apud D. Hoë in h. l. p. 144. Locustas istas exposuit) consti-
tuere cœperunt. Respondet Locustarum (I.) **ORTUS** v. 3. Est hic ex
fumo abyssi, h. e. ex fumo mendaciorum & multitudine assentientium
illis mendaciis non quidem novis sed per Concilium Tridentinum
in articulos fidei redactis & veritati oppositis, ac propter sta-
bili-

bilitationem auctoritatis Papæ, ut Capitis falli ac fallere nescii,
& non ad Regulam Scripturæ ejusque approbationem ac
confirmationem irrevocabilibus. Ex fumo igitur prodierunt
Locustæ. Quia, cum fumus ille doctrinarum auctoratarum,
& multitudinis eas recipientis, existere cœpit, etiam exstiterunt JE-
SUITÆ, qui eas doctrinas docerent ac defenderent. Postquam enim
Concilium Tridentinum actum est, sunt illi omnes, qui juxta hoc faci-
docent in nomine Papæ, *Locustæ* hujusmodi. Sed qui magis hoc faci-
unt JESUITÆ? (2.) POTESTAS EJUSQUE LIMITATIO v. 3. 4. 5. 6.
Data est eis potestas, qualem Scorpii terra habent, & cruciatus eorum ut cru-
ciatus (Βασανισμός) Scorpii, cum percusserit hominem. De Scorpio vide
sis Dioscoridem L. VI. c. XLII. Nobis sufficit generaliter intelligi
cruciatum sive tormentum variæ cupiditatis, nunc zeli, nunc frigoris,
nunc doloris, nunc vanæ recreationis & similium. Potestas alludit
ad id, quod Jesuitæ cum cæteris Papalibus Ministris jactitant, se ha-
bere potestatem & missionem. Scriptura interpretatur esse permissionem
Divinæ severitatis ad illum effectum. Data est eis potestas. Hujus
limitatio triplex est, una subjectorum, altera effecti, tertia durationis re-
spectu. Quoad Subjecta vetantur lædere gramen terræ, ullum viride,
ullam arberem, nisi homines eos solos, qui non habent signum Dei in frontibus
suis. Distribuuntur homines in duas classes; illos qui habent signum
Dei in frontibus suis, & qui non habent, h. e. qui aliud signum in fron-
te gerunt, seu aliam legem profitentur, quæ sine dubio est χάραγμα
τῆς θείας signatura bestia, Apoc. XVI, 2. In hos solos est Locustis po-
testas. Cæteri excipiuntur, & intelliguntur habere signum Dei in
fronte, h. e. Verbum DEI profiteri. Illi autem sunt partim cibus
nutriendæ Ecclesiæ idoneus & vegetationem aliquam habent instar
graminis & vividis, partim etiam Ecclesiæ tutamen præstant, ut arbores.
Porro limitatio potestatis secundum effectum hæc est, ut non occidant
ipso, sed ut ab illis crucientur. Est quidem in Hominibus sigillum
DEI non habentibus in fronte, mortis secundæ sive spiritualis ea vis,
ut ipsi pro vivis haberi nequeant, postquam Christum & ejus
Verbum cognoverunt & nihilominus peccatum in se regnare
patiuntur: sed aliquis tamen gradus mortis secundæ hic tollitur,
nempe ἀνασθησία & τὸ ἀπληγμέναι h. e. dedolere, ac in suo errore

B

occa-

occallescero, & in mera ignorantia versari. Id significatur per βα-
σανισμὸν tormentum, nempe ut sentiant se mori, sive se spiritualiter
mortuos esse, & hoc ignorare ipsis non liceat. Ideo v. 6. dicitur, *Quæ-
rent mortem & non invenient, cupient mori & fugiet mors ab illis*, h. e. o-
mnem operam navabunt, ut seipso excœcent, & hoc unice in se effe-
ctum cupient, ne ullum sensum amplius habeant lucis & veritatis. Id
non obtinebunt, sed propter Evangelii prædicationem non interrump-
endam in perpetuis moribus Conscientiæ vivent. Quo etiam ma-
jor erit ipsorum furor adversus Evangelium, ut illud opprimant, ne
ἐλεγχον πνεύματι & cogantur amplius audire ac sentire. Quis
vero nescit, quam diligenter & studiose hoc egerint & agant JESUI-
TÆ, ut nec ipsi videant verum quod vident, nec alii? Nunc a Scriptu-
ra provocant ad Patres: nunc ex Scriptura & Patribus, quorum dicta
contorquent, petunt fucos, quibus mendacium commendent: nunc
jubent veritatis Professores sua dogmata tum affirmativa tum nega-
tiva probare ex Scripturis, totidem verbis, quibus homines inter se
disceptantes utantur: Consequentias autem negant esse de fide, quasi
perinde esset, id quod ex vero promanat negare vel affirmare: nunc
objiciunt controversiam, nostra ipsorum sententia, esse de non ne-
cessariis: Igitur nos esse schismaticos. Denique nulla est ars, nulla
sophistarum technæ, quæ non utantur. Hinc veteres novæque me-
thodi disputandi cum Lutheranis. Omnia comparata ad ἐμπαιγ-
μὸν & irrisionem. Sed & ad certum tempus restringitur hic crucia-
tus, nempe quinque menses v. 10. qui juxta stylum Libri, singulis mensi-
bus dies XXX. Angelicos i. e. totidem annos tribuentis (confer Cap.
XI. v. 2. & 3.) efficiunt annos Centum & quinquaginta. Si itaque (sunt
verba Matthæi Hoffmanni supra laudati Chronotax. Apoc. p. 238.)
terminus a quo annus est quadragesimus seculi XVI. cum hic ordo primum a
Paulo III. est confirmatus, aut quadragesimus tertius, ubi priori Confirmationi
addita limitatio est sublata, & plenior potestas his Cicadis evagandi facta,
manifestum evadit, illas jam ultimum mensem agere: Terminus enim ad
quem horum quinque mensium erit annus æræ Christianæ 1690. aut 1693. Sed
perquam difficile est recte initium & finem horum mensium ponere,
saltem, si non ad omnia diligenter attendamus, facile est aberrare.
Neque necesse est, ut dicamus 150. annis cruciatum hunc terminari.
Potest enim significari, non infra quinque menses locustas esse crucia-
turas.

turas. Quicquid autem de termino sit, ille potius nobis notificatus est ad expectationem nostram producendam, ne defetiscamur, & ad demonstrationem veritatis prophetiæ, cum illa tōta impleta fuerit: quam ut in antecessum præcise diem operis divini, aut modum ejus prædicamus. (3.) FORMA LOCUSTARUM ÆNIGMATICE DESCRIPTA v. 7. 8. 9. 10. 11. Sunt (α) *Similes equis preparatis ad bellum* i. e. nihil nisi contentiones & persecutiones spirant & anhelant. (β) *habent in capitibus Coronas tanquam aureas*, h. e. gerunt se pro Sociis JESU, qui cum CHRISTO regnent, qui sint a CHRISTO facti sacerdotes & Reges. His se falso assimilant, non volentes regnare cum CHRISTO, quod omnium fidelium est, sed cum alio Capite, & in aulis Regum atque Principum, sine diademate & sceptro ubique regnare & imperare (γ) *Habent faciem similem humanæ*, h. e. hypocritas agunt, & nomen & verba quædam & opera illorum, qui sunt regnati ad imaginem DEI, præ se ferentes. (δ) *Habent crines instar mulierum*, h. e. uniuscujusque ingenio & affectibus se accommodant, & omni lenocinio se comunt & fucant, ut suis blanditiis & Juvenes, & Viros Principes, & Mulieres ipsas in amorem, admirationem, & venerationem sui alliciant. (ε) *Dentes eorum Leonini*, h. e. Voraces sunt & inexplebiles, opimis spoliis inhiantes, & regias inde sibi comparantes divitias. (ζ) *Loricæ habent ferreas* i. e. Indurata contra veritatem præcordia gerunt per varias ratiocinationes & sophistications; imo etiam conspuratione in unum, & consensu, & fœderibus, & legibus, & juramentis facti sunt impenetrabiles & tanquam insuperabiles. (η) *Sonus alarum ut sonus curruum, equorum multorum in bellum currentium*, i. e. Libri ipsorum in orbem emissi nil nisi anathemata, blasphemias, minas, instigationesque ad sanguinem Hæreticorum h. e. Evangelicorum fundendum crepant, quos igne ferro, veneno, bellis & aliis machinationibus deleri cupiunt: ut qui hæc audiat, videatur jam sonum audire exercitus ingruentis. Testis Hungaria, Anglia, Gallia, & Germania. (θ) *Caudas etiam habent instar scorpionum aculeis armatas*. Caudæ sunt periculosæ Consequentia ex errore ipsorum doctrina profluentes, v. g. *Hæreticis non esse servandam fidem. Jurata pacta licite posse frangi. Æquivocationibus & amphiboliis deludi posse dissentientes* &c. Aculei vero scorpionarii, linguæ sunt & calami calumniatorii, quibus Conventiones, Pacta, & Fœdera confodiunt, & omnia humanæ societatis vincula dissolvunt hæ Cicadæ

924/6212
(4.) HIERARCHIA. Quæ Monarchia est. Habent enim super se Regem, & falso Regem, quatenus nominatur Vicarius Christi, qui solus est illud Caput, quod datum est Ecclesie super omnia, Eph. 1, 22 & vere Regem, quia volunt eum esse suam Regem & Dominum, & ipsius mandatis obedire. Est autem Rex ille, Angelus abyssi, q. d. missus non ex Cælo, sed ex inferno, Apostolus non Christi sed Dæmonis, & hujus non illius verba loquens. Hic non potest esse alius, quam stella illa de Cælo in terram lapsa, clavem habens putei abyssi, v. 1. Ei nomen Hebraice וְיָמִין & Græce ἀπολλύων. Scilicet, ut Christus σωτήρ Salvator, ita Anti-Christus ἀπολλύων Exterminator. Profitetur enim se posse chiliades animarum deducere in Gehenam, & tamen non posse a quoquam judicari. Quod dicere non est nisi illius qui perdit. Paulus vocat υἱὸν τῆς ἀπωλείας filium perditionis, 1. Thess. 11, 3. Cujus descriptio est ænigmatis hujus solutio.

Judicet jam qui judicare potest, utrum illud rectius a Bellarmino de LUTHERO & LUTHERANIS, an vero a nobis de PAPA & JESUITIS fuerit expositum. Nec tamen istius Prophetiæ pars nulla fuit LUTHERUS, utpote cujus ministerio Stella illa de Cælo in terram deturbata, & Papa eam auctoritatem, quam sibi arrogarat, in Ecclesia, habere desit. Cujus rei memoriam anniversariam cum hodie festivitate solenni celebraturi simus, ac eum in finem Vir juvenis Clarissimus & Eruditissimus Dn. M. JOHANNES Günther/ Grypheberga Silesius, solennia Verba, ex umbone Ædis Paulinæ publico nomine dicenda, medidatus fuerit; UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PATRES CONSCRIPTOS, & quotquot in universum sunt LITERATI ORDINIS FAUTORES, pro eo quo decet, ac par est, officiose ac humaniter rogamus, ut pietatem suam nostræ jungentes, hac ipsa Vigilia omnium Sanctorum, ex Sacello D. Nicolai finitis sacris matutinis nos haut illubenter comitati, NON INFACUNDUM ORATOREM, quod studiis ac officiis gratissimis redhostiemus, patienter auscultare ne graventur. NOBILISSIMI STUDIOSÆ JUVENTUTIS COETUS, cui omnimodam benevolentiam offerimus, spontaneum obsecundandi studium prolixis obtestationibus in dubium non vocamus. PP. die XXXI.

Octobr. A. R. O. clō Ico LXXXIII.

Literis Colerianis.

1017
m.c.

Q. 195 (15)

QK 195.

Jo. Ad. 6

in Apo

REC
UNIVERSITA

Orat

D. XXXI. Oct. pe


in AEd

IN MEMORIAM
B. LUTHERU
tionis,

UTRIUSQUE RE
officiose, hu

De dicto Joann. Anst. 12
incepto in Littera

C
212



S

is,

R

ES

